



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Joannis Bonae, Eminentissimi S. R. E. Titulo S. Bernardi
Ad Thermas Cardinalis Presbyteri Opera Quotquot
hactenùs separatim edita fuerê Omnia**

Bona, Giovanni

Antverpiae, 1677

XXIII. De Justitia, & Religione. Actus utriusque. Quid sit poenitentia, & in quo consistat.

urn:nbn:de:hbz:466:1-10805

agendis idonea sit; & eò inclinandum, quò te vis ingenii defert. Reluctante naturâ irritus labor est.

3. Vir prudens nihil aggreditur, quamdiù aliquâ perturbatione agitur: non enim potest verum & honestum discernere concussa mens, & pravæ affectionis præstigijs delusa. Multum item prudentiæ adversatur præcipitatio, quæ in graves ac inextricabiles casus plerosque induxit. Quare prudens nil temere agit, propriumque iudicium alieno consilio subjicit. Timidæ sunt hominum cogitationes, incertæ providentiæ, rerum exitus dubii, fallaces experientiæ. Ibi salus, ubi multa consilia. Spectat quoque ad prudentem, rem denudare? & acurè introspicere, sine furo & integumentis, quæ decipere incautos solent. Sepone pecuniam, famam, dignitatem: intus rem ipsam scrutare: quare quid sit, non quid vocetur. Stultum est, simulacris & umbris falli. Tum debes veluti ex specula quicquid evenire potest explorare; ne stultum illud quandoque dicendum sit: Non putaram. Ad id longa consultatio adhibenda, maturumque iudicium, & subtile examen; ne prava aliqua circumstantia actionem vitiet, ne prudentia degeneret in astutiam & calliditatem, & ne in tanta veri ac fucati boni vicinia vitium pro virtute amplectaris. Peractâ denique electione, omnem præcide moram, statimque exequere quod decrevisti. Nullus cunctationi locus est in bono consilio; quod non potest laudari, nisi peractum.

C A P U T XXIII.

De iustitia, & Religione. Actus utriusque. Quid sit poenitentia, & in quo consistat.

1. Iustitia suprema virtus, aliis nata non sibi, nihil petens ex se, nisi usum sui. Hæc homines à mutuis injurijs avertit, & mundum universum in pace constituit. Hæc tacita quædam naturæ conventio est, & vinculum societatis humanæ; nec quidquam sine illa laudabile esse potest. Vir justus neminem lædit, alienum non vendicat, omnibus prodest, benè de omnibus sentit & loquitur, dat unicuique quod suum est, non impedit alterius bonum. Si præsit, iusta præcipit, omnibus patet, propriisque utilitibus subditorum commoda præfert: poenis vi-

tia coercet, præmia bonis largitur, & sic omnes continet in officio. Si sublit, servat concordiam, legibus pareat, & iullis majorum, suoque statu contentus officia & dignitates non appetit, nec se rebus ingerit quæ ad se non spectant. Gratis autem iustitiam colit; quia iustæ actionis nullum majus præmium existimat, quàm iustum esse.

2. Religio moralium virtutum præstantissima, Deum immediatè respicit, ejusque cultum & honorem. Primus autem cultus est, ipsum credere & cognoscere: deinde, reddere illi majestatem suam, reddere bonitatem. Parùm est nosse Deum, quod & dæmones faciunt, qui oderunt: amor insuper & cultus exigitur, his ex rebus constans; quæ utriam tam benè implerentur, quàm sciuntur! Scis, Deum illum esse, qui præsidet mundo; qui humani generis tutelam gerit, qui universa moderatur. Ipsum solum potentem, solum bonum, solum altissimum confiteris: ab eò tanquam à summo bono, & tuo ultimo fine, perpetuam beatitudinem expectas. Cur non igitur, ut par est, eum colis? cur non summam ei exhibes venerationem? cur vilissimam terræ glebulam ei præfers? Vana est religio tua, nisi factis comprobetur. Vis verè religiosus esse? Ambula coram Deo, & esto perfectus. Satis eum colit, qui imitatur. Vera Religio te Deo religat, Deum tibi. Custodi eam illibatam à negligentia, ab erroribus, à peccatis. Stulticia magna est, fidem linguâ, moribus infidelitatem prædicare. Hujus notæ homines irritit olim celeberrimus inter Ethnicos Philosophus, dicens; Nihil gloriosius esse Christianis, cùm loquuntur: nihil miserabilius, cùm operantur.

3. Divini juris læsi reparatrix est Poenitentia; quæ ad peccati detestationem inclinat, cum efficaci voluntate, Deo, per illud offenso, satisfaciendi. Hæc est enim poenitentia, præterita peccata detestari, expiare; nec amplius in ea consentire. Præterit quod delectat; restat quod arguit, quod torquet, quod damnat. Quid prodest transactam sceleratam abscondere? Nemo nocens se iudice absolvitur. Tribunal quoddam à natura in ipsâ mente humana constitutum est, ubi unusquisque sui sceleris accusator est, & testis, & iudex. Hic coge animum & sensus tuos quotidie adesse, ad reddendam rationem. Dic apud te causam; & quantum potes, te ipsum coargue. Totum diem tecum scrutare; omnia dicta & facta tua, atque ipsasmet cogitationes rememere, nihil abscondens, nihil transiens. Si agnoscis iniquitatem

tatem tuam, ignoscit Deus: si fateris, mederis. Quid refert neminem scire vitium tuum, cum tu scias? An utilius tibi existimas, damnatum late- re, quam palam absolvi? Ubi cumque lateas, conscientia tecum est; non potes eam effugere. Miserrimus es, si hanc aspernaris.

4. In tria tempora vita dividitur, quod est, quod fuit, & quod futurum est. Præsens momen- taneum est, antè desinens quàm veniat: futurum nondum est: at præteriti dies adierunt omnes, cum iusseris, & ad arbitrium tuum se inspicere patientur. Ne timeas memoriam tuam; ne erubescas te in præteritum retorquere, erroresque tuos tibi exprobrare, Quo frequentius id feceris, eo citius emendaberis. Ipse de te vindictam sume; nec ea iterum admittas, quæ fecisse te plangis. Plerique liberati à naufragio, exinde repudium & navi & mari dicunt, Dei que beneficium periculi memoriâ honorant. Hanc bonam sollicitudinem in te esse cupio; ne iterum experiri velis, quod semel timuisti. Grande periculum evasisti: ne te iterum discrimini exponas. Toties pepercit Deus, quoties deliquisti: cave, ne idcirco deterior fias; quia Deus bonus est. Quid facturus sis, cogitas aliquando: cur non potius, quid feceris? Nam consilium futuri ex præterito venit. Multi ad sapientiam pervenirent, nisi jam putarent se pervenisse. Nisi te quotidie emendes, quotidie deterior eris.

C A P U T XXIV.

De Pietate, & Observantia. Obedientia commendatur, itemque Gratitude. Quo- modo accipiendum, & reddendum sit beneficium.

1. **N**ULLA vi verborum exprimi potest, quàm laudabile opus sit, posse hominem dice- re; Parentibus meis cessi, & parvi semper: eorum imperio, sive æquum, sive durum fuerit, obsequentem & submissum me præbui: bonum patriæ civem me semper exhibui: fratribus & consanguineis bene facere nunquam cessavi: omnes vincere beneficiis conatus sum. Hæc sunt nimirum Pietatis officia, quibus debitum tribuimus cultum patriæ, parentibus, fratribus, & aliis sanguine conjunctis. Quod verò pietas erga cognatos, id præstat observantia erga Prælatos, Principes, Præceptores, & alios, qui aliquo modo nos antecedunt dignitate,

sapientiâ, ætate, religione, & sanctitate. Sole- mus enim coram illis assurgere, caput aperire, viâ decedere, equo aut vehiculo desilire, ad genua provolvi, manus aut vestes osculari, alia- que honoris signa pro more patriæ exhibere. Hæc autem omnia profuso ac reverenti animo præstabis, si præcesserit in intellectu magna sub- limiratis illorum æstimatio. Nam hinc orietur in voluntate fuga quædam & metus; quo per- cussus nimiam cum illis familiaritatem declina- bis, atque ab eorum magnitudine in tuum quo- dammodo resilies parvitatem. Omnis potestas à Deo est. Quicquid præstiteris majoribus tuis, infra debitum honorem erit, si Deum in illis consideraveris.

2. Ut ex primi parentis inobedienciâ omnis calamitas exorta est, sic per obedientiam filii Dei ad felicitatem reducti sumus, si & nos obedientiam servaverimus. Obedientia rerum omnium perfectio est, earumque cum suo prin- cipio firmitissima connexio. A Deo enim in Deum admirabili circulo cupèta deducit. Hanc Chri- stus præcatensis virtutibus commendavit, qui ne eam perderet, perdidit vitam. Hæc melior dicitur esse quàm victimæ; quia per eam pro- pria voluntas mactatur. Suscipiendum est autem Superioris edictum, velut emissâ divinitus vox, nullâ quæsitâ præcepti causâ vel motivo. Nescit judicare, qui perfectè didicit obedire. Moneat Superior; jubeat lex, dicat quid me velit facere; non disco, non disputo, non ex- cuso; sed simpliciter & velociter pareo, paratus ad omnia, seu facilia seu ardua, pari gaudio & promptitudine exequenda. Unum est, in quo re- fractarius & contumax esse potes, si quis nimi- rum à bono te retrahat, & adversus Dei legem impellat. Cætera omnia constanter & sine mur- mure exequi debes.

3. Gratitude debitum respicit ob acceptum beneficium. Nihil autem magis præstandum, quàm beneficii æstimatio; si non ex rei magni- tudine, saltem ex animo, & affectu donantis. Tum jugis benefacti memoria necessaria est, quæ semper animo hæreat. Gratiâ referre nequit, nisi qui meminit: & qui meminit, jam refert. Hoc non exigit opes, non operam, non felicitatem; in promptu omnibus est. Ut desint vi- res, nunquam deerit voluntas, quâ rependere etiam Regibus potes. Cum ab aliquo accipis be- neficium, hilaris accipe, & gaudium profiteri, quod sit danti manifestum; ut muneris sui fru- ctum capiat. Justa lætitiæ causâ est, lætum ami-